

dicti, de DEO uno & Trino, esse voluerunt.

2. Facti hujus causa fuit, non quam Fabritius, Leodius ille, & Iohannes Hoffmeisterus dudum confinxerunt, quasi Confessores nostri fraudulenter ac dolosè ab articulo favorabili, minimeq; controverso auspiciati, hoc pacto in Caesaris, ceterorumq; Principum Pontificiorum gratiam & benevolentiam sese insinuare: Catholicorum nomen apud simpliciores sibi astute vendicare: iisdemq; fucum facere studuerint, ac si in minoribus Articulis haud aberarent, cum in sublimioribus orthodoxiam tenere viderentur. Sycophantarum enim morsus istos esse, quisque facile deprehendet, qui ἀνευ προσημίματος candidè judicare voluerit.

3. Verùm facti causa fuit partim εὐλογία: Rerum enim sacrarum sacra debent esse primordia, & magnarum quarumvis actionum, à divino numine capessenda principia: sic suadente non nostra modò, sed & Gentilium religione: partim ἀπολογία, ac iusta simul & necessaria atrocissimorum criminum, quibus nostrae, Ecclesiae horribiliter notabantur, depulsio.

4. Et si enim de hoc religionis Christianae articulo, inter partes dissidentes publice conveniebat: ejusmodi tamen convitijs & mendacijs, impuri passim Monachi, nostrarum Ecclesiarum

Hor. Fabr.

p. 10 &

11.